



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 40. Examen de Sacrificii doctrina continuatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

tos ex illis, qui rem Pontifici relinquen- **Sæcul. XVI.**
 dam censuissent, in eadem opinione ad- **A. C. 1562.**
 huc persistere, eo quod liquido iis non
 constet, utrum ejusmodi concessio ex-
 pediret, quapropter hi omnes Decretum
 oppugnaturi essent, adeo, ut nec ab il-
 lis impetrari posset, quatenus decreto
 inferi permitterent, quod Synodus ca-
 liciæ usum concesserit, quinimo, etsi id
 ab eis obtineri posset, par tamen foret,
 ut hebdomadæ unius interpositione æ-
 stum hunc sinant deservescere. Huic
 quoque consilio Quinqueecclesiensis E-
 piscopus acquievit.

§. XL.

*Examen de Sacrificii doctrina
 continuatum.*

Nec tamen adeo cunctæ hæ consul-
 tationes circa caliciæ usum disten-
 tam tenebant Patrum sollicitudinem,
 quin intenti quoque essent eorum ani-
 mi, ut alia argumenta in privatis con-
 ventibus agitanda disponerentur, ad
 eam normam redacta, ut illa cum om-
 nium applausu excipienda speraretur:
 præprimis vero Patres ad discutiendam
 Christi oblationem designati adeo scite
 cuncta confecerant, ut nihil eorum,
 quæ in controversiam duci possent, de-
 creto infererent; duntaxat enim pro-
 nuntiabant, quod Redemptor in cœna

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.
se obtulisset in Sacrificium Patri sub specie panis, & vini, sed quo genere oblationis, seu sacrificii id factum fuerit, haud exprimebant: itaque Decreta doctrinæ, & Canones illis respondentes ad conventum generalem septima Septembris die delata fuere.

§. XLI.

Difficultates contra Canones a Granatensi Archiepiscopo propositæ.

Paltav. c. 5.
n. 5. 6. & 7.
Verum Granatensis Archiepiscopus, qui Sociorum suorum opinioni semper adversabatur, hujus conventus tranquillitatem turbabat proluxa sua oratione, qua improbabat tertium Canonem, qui nunc secundus est, ubi definitur, collatum fuisse Apostolis a Christo Sacerdotium in ultima cœna verbis illis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Porro hic Præsul afferebat in medium pro sententia opposita testimonium Nicolai Cabasilæ, qui in libro primo de Missæ Sacrificio opinatus est hujusmodi potestatem fuisse Apostolis traditam die Pentecostes: allegabat insuper S. Germanum, Hesichium Presbyterum in libro primo Commentariorum super Leviticum, & Richardum Armacanum, qui arbitrabatur, quod Apostolis eo ipso tempore, quo fuerant constituti Apostoli, etiam Sacerdotium colla-